



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

VII. Qui libri in Canone recipientur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

## VII.

Qui vero libri recipiantur in canone sanctorum scripturarum, breuis adnexus ostendit. Hæc sunt ergo quæ desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri 5. id est Genesis, Exodi, Leuitici, Numeri, Deuteronomii: & Iesu Naue vñus, Iudicum vñus. Regnorum libri 4. simul & Ruth. Prophetarum libri 16. Salomonis libri 5. Psalterium. Historiarum, Iob liber vñus, Tobiae vñus, Esther vñus, Judith vñus, Machabæorum duo, Esdræ duo, Paralipomenon duo. Item noui Testamenti, Evangeliorum libri 4. Apostoli Pauli epistolæ 14. Epistolæ Ioannis 3. Epistolæ Petri duæ: Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis. Cetera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ, siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ a Xenocharide & Leonida philosophis; vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse damnanda. Datum 10. Kalendas Martias, Stilicone II. & Anthemio viris clarissimis consulibus.

## NOTÆ.

Exuperius quis. <sup>2</sup> *Ad Exuperium.*] Exuperius is est, quem Ausonius Burdigalensem dicit, & inter eius temporis claros oratores adnumerat. Post præfecturam Hispaniarum, auctore Ausonio, ad portum tranquillitatis secessit: in ecclesia Burdigalensi presbyterium meruisse, ex Paulini epistola vigesima, ad Amantium scripta, intelligi potest. Qualis quantusve extiterit egregia vita sanctitate conspicuus, ex sancto Hieronymo audi, dum hæc de seipso scribit epist. 4. ad Rusticum. *S. Exuperius Tolose episcopus, vidua Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieunii fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam eiecit e templo: qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona sancti Spiritus, mensaque subuerit Mammonæ, & nummulariorum æra dispersit, ut domus Dei domus vocetur orationis, & non latronum spelunca, &c. Epistola 2. Non possum, inquit, absque lacrymis Tolose mentionem facere, que ut hoc usque non rueret, sancti episcopi Exuperii merita praæstiterunt. Hic diuini spiritus afflatus ventrum Gallie excidium, Tolosamque barbaris paulo post dedendam prenoscens, magna celeritate omnem substantiam in pauperes erogavit: cumque eius liberalitati maxime Gallia nimis angusta videretur, Sisinnium monachum, integerrimis vite moribus præditum, in orientem cum ingenti*